



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

De finali causa coniugij. D

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**

diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis, quæ accidit ex peccato: sine qua concupi voluit, qui sine peccato futurus erat. Et licet non intercesserit coniugalis concubitus, coniuges tamen vere fuerunt mente & non carne, sicut & parætes: quamuis Ambr. dicat perfectum fieri coniugium per carnalem copulam. In omni, inquit, matrimonio coniunctio intelligitur spiritualis: quam confirmat & perficit coniunctorum commixtio corporalis. Sed intelligendum est, coniugium perfici commixtione corporali, non quantum ad veritatem vel sanctitatem coniugii, sed quantum ad significationem, quia perfectius unionem Christi & Ecclesiæ tunc figurat.

*De causa finali coniugii.* D.

Exposito quæ sit efficiens causa matrimonii, consequens est ostendere ob quam causam soleat vel debeat contrahi matrimonium. Est igitur finalis causa matrimonii contrahendi principalis, procreatio prolis, propter hoc n. instituit Deus coniugium inter primos parentes, quibus dixit, Crescite & multiplicamini, &c. Secunda est, post peccatum Adæ vitatio fornicationis. Vnde Apost. Propter fornicationem vnusquisq; habeat uxorem suam, & vnaquæq; habeat virum suum. Sunt & aliæ causæ honestæ, vt inimicorum reconciliatio, & pacis redintegratio. Sunt etiam & aliæ causæ minus honestæ, propter quas aliquando contrahitur: vt viri mulierisq; pulchritudo, quæ animos amore inflammatos sæpè impellit inire coniugium, vt valeant suum explere desiderium. Quæstus quoq; & diuitiarum possessio frequenter est coniugii causa: & alia multa, quæ cuiq; diligentiam adhibenti facile est discernere. Nec est assentiendum illis, qui dicunt non esse coniugium, quod propter has causas minus honestas contrahitur. Constat n. ex premissis

*In libr. 1. de  
Patriarchis  
cap. 9. ca 12.  
in tom. 4.*

*Genes. 1. 2.*

*1. Cor. 7. 2.*

missis coniugium fieri ex communi consensu ver-  
bis de presenti expresso, quamuis amor ad hoc at-  
traxerit. Cuius rei documentum præstat Iacob,  
qui Rachel decoram facie & venusto aspectu ama-  
uit, eamq; multum diligens ait, Seruiam tibi pro *Genes. 19. a*  
Rachel 7. annis. In Deuteronomio etiam legitur. *Deut. 21. b*  
Si videris in medio captiuorum mulierem pul-  
chram, & adamaueris eam, voluerisque vxorem  
habere, introduces eam in domum tuam, &c.

*Quod malus finis non contaminat sacramentum. E*

Et licet fine non bono contrahatur coniugium,  
quando species contrahentis mouet animum, cō-  
iugium tamen bonum est: quia vita mala vel in-  
tentio peruersa alicuius, sacramentum non con-  
taminat. Habuit autem coniugium Mariæ & Io-  
seph alias causas speciales, scil. vt virgo solatio vi-  
ri sustentaretur, & vt diabolo partus celaretur: vt  
Ioseph esset testis castitatis, defendens eam ab in-  
famia suspicionis, ne adultera damnaretur. *Hiero. in cō-  
ment. ad c. 1. Matth. 1. 9.*

DE TRIBVS BONIS CONIUGII.

DISTINCT. XXXI. A

**P**ost hæc de bonis coniugii quæ sint, & qualiter  
coitum excusent, dicendum est. Tria sunt prin-  
cipaliter bona coniugii. Vnde Aug. Nuptiale bo-  
num tripartitum est, scil. fides, proles, sacramen-  
tum. In fide attenditur, ne post vinculum coniu-  
gale cum alio vel alia coeatur: In prole vt aman-  
ter suscipiatur, religiosè educetur. In sacramento,  
vt coniugium non separetur, & dimissis vel di-  
missa ne causa prolis alteri coniungatur. *Aug. de Ge-  
nes. ad liter. li. 9. c. 7. 10. 31.*

*De duplici separatione. B*

Separatio a. gemina est, corporalis scil. & sacra-  
mentalis: corporaliter possunt separari causa for-  
nicationis, vel ex cōmuni consensu causa religio-  
nis, siue ad tempus siue vsq; in finem. Sacramentali-  
ter vero separari non possunt dum viuunt, si legi-  
timæ personæ sint. Manet n. vinculum coniugale  
inter